

tioni Episcopali subjecto ; Episcopus fungetur officio suo , neque ob ejus præsentiam sua munia intermittet. Quod si præsens fuerit Visitator Apostolicus Episcopus , vel non Episcopus , et sit in loco suæ jurisdictionis , exhibendi erunt ei honores , qui *Cap. XIII et XXIII Lib. 1.* præscribuntur. Archiepiscopi porro , eodem Visitatore in locis demandatæ Visitationis præsentem , poterunt ante se crucem deferre. Episcopi etiam , Cardinali Legato vel non Legato in eorum civitate Episcopali seu in Diocesi commorante , ab usu mozzettæ non tenentur abstinere.

5. Ut autem Episcopus commodius sua munia Episcopalia exercere valeat , puta : consecrare , ordinare , conficere Oleum sanctum , et similia facere , ex urbanitate Legatus , seu Cardinalis , Nuntius , aut Metropolitanus in civitate præsentem , hujusmodi actibus intervenire non curent : ne ob eorum præsentiam et dignitatem , vel Episcopus a necessariis functionibus Episcopalibus abstinere cogatur , vel saltem interposita mora , et majori cum difficultate actus prædicti executioni demandentur.

6. Gubernatoribus vero civitatum præsentibus , præmiuentia semper sit Episcopi , tam intra , quam extra Ecclesiam. Magistratus vero et alios Magnates , et viros nobiles , et præcipue Principes magnos et potentes , Episcopus pro eorum qualitate et gradu honorabit , non tamen ob eorum præsentiam cessabit unquam a suo officio ; neque ita illis sese submittet , ut qui patris locum tenet , ministri munus subire videatur , sed memor sit dignitatis suæ , quæ tantopere illi ex Tridentini Concilii gravissimo decreto commendatur.

7. Si vero Episcopus obviam iret alicui Cardinali Legato , vel non Legato ad ejus civitatem advenienti usque ad portam , vel extra eam , vel etiam si cum eisdem per urbem incederet , induet supra rocchetto mantelletum , et abstinabit a delatione crucis ante se , si erit Archiepiscopus , ob reverentiam officii , et dignitatis illius. Et si erit Cardinalis Legatus , abstinabit etiam ab usu mozzettæ. Secus si ali-

cui maximo Principi , aut dignissimo Prelato , vel Nuntio Apostolico obviam iret , quo casu non mutat habitum. Equorum autem , seu mularum stragulæ et phaleræ et ornamenta , Episcopo equitante , ex panno laneo coloris nigri seu violacei , ut supra , plus minusve composita erunt , prout ipse Episcopus solemnitus , aut simpliciter equitabit , nisi paratus pontificaliter equitaverit.

CAPUT V.

Duo Magistri cæremoniarum ab Episcopo statuendi. Quales esse debeant. Eorum munia in parandis iis , quæ ad celebranda divina Officia ac Mystera , Cardinales , Principes , Ducesque excipiendos , pertinent. Eorum habitus. Sessionum ordines disponant. Stipendium eis constituitur.

1. Antequam cæremoniarum regulæ et usus explicentur , de ipsis cæremoniarum Magistris , quorum ministerio et cura omnia Ecclesiastica munia obeunda sunt , statuendum est. Curabit ergo Episcopus , ut duo , si fieri possit , de gremio suæ Ecclesiæ , aspectu et statura corporis convenienti , et multo magis scientia et bonis moribus præditi , experti et dociles , ad hujusmodi onus assumantur , quorum primus vigesimum quintum saltem attingat annum , sitque in Presbyterali ordine constitutus , bonis artibus instructus ; et , si fieri posset , juris Canonici , vel Theologiæ intelligentiam habeat , divinorum Officiorum ac rituum Ecclesiasticorum assiduus et diligens perscrutator. Is erit in primis sollicitus circa personam Episcopi , aliarumque personarum dignitate , aut nobilitate præstantium ; ut eis præsto sit , si quid petant , aut si qua de re admonendi erunt : ac nihilominus omnia circumspectat , singulorum munia perpendat.

2. Quando autem erunt celebranda Officia , quæ non ita frequenter occurrunt , et quæ solemniori ritu , apparatuque



peragi solent; præsertim quando ad ea accederent Magnates, ut Cardinales, Principes, Duces, et similes, per diem, aut plures dies antea præsens videat et intelligat, an omnia recte disposita et ordinata sint, quæ ad celebrationem spectant; nempe an Ecclesia, altare, abacus, sedes Pontificalis, Canonicorum Magistratuumque sedilia sint decenter apparatus, ornataque, an cætera ad ipsius celebrationis actum necessaria, ut sacræ vestes, paramenta et vasa, candelabra, cerei, funalia, aliaque utensilia sint suo quæque loco præparata, et congrue disposita juxta normam et regulas, quæ sequentibus capitulis tradentur: nec gravetur aliquando, cum viderit necessarium, etiam suis manibus adjuvare ministros, cæterosque omnes quorum opera uti oportebit; præmoneat atque instruat, quos opus fuerit, exhibitis etiam schedulis; si quid enim erroris accidat, aut incaute fiat, ipsi uni Cæremoniario imputari solet.

3. Alter vero junior, qui saltem in sacro ordine sit constitutus, præcipuam curam geret circa personam celebrantis, ac ministrorum illius; cumque opus erit aliquos ducere, aut reducere, faciat id modeste, et discrete submissa voce, ac solo nutu, si fieri possit, quæcumque agenda sint demonstrans; non discurrat velociter, non caput volvat, aut manus jactet indecenter: caveat demum, ne in suis actibus affectationis vitio notetur, sed quidquid aget, cum gravitate, et congruenti mora, ac cum decore corporis gestu ita peragere curabit, ut cæteris devotionem et reverentiam pariat, ipseque ab omnibus commendari mereatur; unus tamen alterius defectum, cum opus erit, modestia ac silentio corrigere et supplere studeat; ambo simul convenient, antequam in ipso rei gerendæ actu sint; prævideant, quæ sint agenda, ac onera inter se partiantur, concordeseque sint, ne reprehendi ab aliis jure possint, qui docere et instruere omnes debent. Satius enim est unum, quam plures esse, nisi fuerint concordese.

4. Eorum habitus sit honestus et clericalis, ipsaque ve-

stis inferior, ubi commode fieri possit, coloris violacei, super quam, dum divina Officia celebrantur, cottam mundam induent. Ad eorum quoque officium spectabit, præsertim ubi non adest particularis Magister chori, curare, ut infra chorum nulla fiant colloquia, nec sint, qui risu, aliove incomposito, seu minus modesto actu rem divinam turbent; non qui cum cæterorum scandalo dormiant; litteras, aut alias scripturas legant; sed nec libros aut ipsum Breviarium, aut Diurnum in manibus habeant, aut ex illis privatim Horas, aut Orationes recitent, sed illas alta voce, una cum choro dicant, aut cantent, et ad id librum habere permittantur; ne quis gestum aliquem ab aliis differentem demonstrat, ut cum alii stant, aliquis sedeat, vel genuflectat, vel e contra: sed detur opera ut omnes uniformi ritu attente, devote et reverenter divinis mysteriis, atque Officiis assistere, eaque toto cordis affectu admirari et contemplari videantur, ac silentium diligenter servetur.

5. Quæ omnia, ut sine contradictione quietius perficiantur, Episcopi cura erit omnes, tam Canonicos, quam alios de choro præmonere, ut ipsis Cæremoniariis in his, quæ ad cultum divinum spectant, sine contradictione obediant; nec tantum eorum verbis acquiescant, sed et oculos in ipsos convertentes observent; et illico illius nutu, aut levi aliquo signo, vel intuitu, quod agendum sit significantibus, statim pareant.

6. Alia vero nonnulla, quæ ad ipsum Cæremoniarum officium spectant, velut thuribulum deferre ad Episcopum, et ad altare ducere et reducere Diaconum et Subdiaconum, aliosque omnes, tam majores, quam minores ministros, quorum opera in re sacra, aut alibi requiritur, inferius suis quæque locis in operis cursu exponentur. Si Ecclesia sit ampla, et numero Clericorum ac Beneficiorum abundans, possent arbitrio Episcopi, aut juxta consuetudines Ecclesiarum, aliqui ex ejusdem Ecclesiæ gremio subministri adhiberi, qui in aliquibus casibus, tam in choro, quam extra, ipsos Cæremoniarum adjuvant; velut indicendo silentium

populo, atque occurrendo, quoad valerent, tumultui et scandalis, quæ forte in ipsa Ecclesia oriri possent; atque etiam circumspiciendo per totam Ecclesiam, ne quid indecenter fiat; neve extinguantur lampades et cerei; aut ne flamma ex cereis ultra modum profluat; vel quid indecorum super altaribus, aut aliis in locis eveniat.

7. Item viros a mulieribus, cum commode fieri potest, distinguendo et separando, ordinem sessionum inter laicos advertendo, eosque admonendo, quando surgere, sedere, vel genuflectere debeant, aliaque hujusmodi prævidendo et operando, prout opportunum erit: atque a dictis duobus Cæremoniariis, cum opus erit, admonebuntur; quibus præterea subditi et obedientes esse debeant, et ut ab omnibus cognoscantur, eorumque officium commodius, ac majori cum auctoritate exercere et exequi valeant, posset eis concedi usus aliquarum ferularum serico, vel panno tectarum, cum aliquibus ornamentis, aut insignibus Sancti Patroni, vel Ecclesiæ, vel Episcopi, componendarum, quas semper manibus gestarent.

8. Ut autem ipsi cæremoniarum Magistri necessariis rebus pro victu et vestitu juxta eorum statum non indigeant, animumque diversis curis et perturbationibus defatigare et distrahere non cogantur, sed a cunctis aliis negotiis remoti, omni studio et diligentia, ac toto pectore in commissam ipsis curam, et munus suum facilius incumbere possint, providebit Episcopus, ut ipsis constituatur aliquod certum et competens stipendium; et insuper, ut eis applicentur emolumenta aliqua extraordinaria; item aliquibus privilegiis et prærogativis decorentur; ut promptiori animo suo muneri satisfaciant, ac libros necessarios sibi parare possint; videlicet, Pontificale, Cæremoniale Episcoporum, librum de mysteriis Missæ Innocentii Papæ III., Rationale divinorum Officiorum, Joannem Stephanum Durantum de ritibus Ecclesiasticis, diversosque alios auctores de Officiis divinis, tam antiquos, quam recentiores, aliosque plures, quos sibi opportunos judicabunt; ut non

solum actione et opere sint parati, sed etiam, cum opus fuerit, de his, quæ fiunt, rationem reddere, quoad ejus fieri possit, valeant.

CAPUT VI.

Sacrista in Cathedralibus, et Collegiatis Ecclesiis constituendus. Qualis eligendus, et quæ ejus partes et munia.

1. Officium Sacristæ in singulis Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis pernecessarium est: idcirco in Sacristam eligendus est, qui ad hujusmodi officium fideliter et strenue exercendum idoneus et aptus merito censi possit. Assumendus autem est de gremio ipsius Ecclesiæ, vel aliunde, prout magis expedire videbitur, qui in Sacerdotali ordine sit constitutus, et cui præsto esse debent alii clerici coadjutores, vel plures, vel pauciores, pro Ecclesiæ necessitate et facultatibus.

2. Ejus præcipua cura erit, ut paramenta sacra, vasa, libri, cerei, ornamenta, instrumentaque pro usu Ecclesiæ et altarium, ac reliqua præterea suppellex Ecclesiastica sana, integra et munda conserventur, eaque, cum attrita aut lacera erunt, renovari, aptarique procuret. Sed in primis, ubi alias talis cura peculiariter non sit commissa alteri, diligentissime curabit, ut ea, quæ ad sacrosanctæ Eucharistiæ cultum et honorem spectant, nitide conserventur, locusque, seu tabernaculum, ubi custoditur, diligentissime, et fidis clavibus obseretur; lampades circa illam perpetuo ardeant, illaque saltem semel in hebdomada mutetur et renovetur; ad infirmos debita cum reverentia et honore deferatur. Pariter et circa fontem Baptistalem, et sacri Chrismatis, aliorumque sacrorum Oleorum conservationem, diligentissimam curam adhibebit, juxta præscriptam sibi ab Episcopo et aliis, ad quos spectat, normam. Et quod ad sacrum Oleum infirmorum attinet, procuret illud in

vase ab aliis separato custodiri, illudque solum ab aliis se junctum ad ungendos ægrotos deferri. Idem, et de sacris Sanctorum Reliquiis dicitur, ut scilicet fideliter et honorifice asserventur. Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur, ac denique, ut tota Ecclesia, et singula illius sacella et altaria semper munda et nitida sint, nec per incuriam obsordescant.

3. Curabit etiam pro tempore, dierumque festorum qualitate, ut ea decenter ornentur, prout latius infra *Cap. xii. hujus Libri* dicitur. Cum Missæ, et cætera divina Officia solemniter celebranda erunt, sive per Episcopum, sive per alios, ipse peculiarem curam geret, ut altare majus, credentia, tribuna, chorus et secretarium, ubi Episcopus sacris vestibus paratur, necessariis rebus et ornamentis, quæ in eodem capitulo exprimuntur, instruantur opportune, ne eorum aliqua deesse contingat; in quibus perquirendis et expectandis, indecenter, atque incommode tempus teratur. Aderit apud altare in cornu Epistolæ, cum oblata erunt offerenda; et prægustabit de hostia, vino et aqua, porrigente Diacono. Ad eum etiam spectat, ut per campanarum sonum indicentur horæ Vesperarum, Matutinarum et Missæ, ac reliquarum Horarum canonicarum; item cum in Missa majori elevatur SS. Sacramentum, vel quando illud ad infirmos deferendum est; et ut matutino, meridiano ac vespertino tempore diebus singulis, salutationis Angelicæ signum detur. Demum, ut ab ipsa Sacristia laicorum nimia frequentia, indecentes sermones, jurgia, rixæ, actusque profani removeantur, diligentiam adhibeat; ut Sacerdotes Missas celebraturi opportuno tempore, et ordine exeant, pro populi, personarumque concursu.

4. Ad ipsum spectabit eleemosynas, quæ pro Missis celebrandis dantur, custodire, et adnotare in libris Sacristiæ, et inter illos ad quos spectat, distribuere. Habeatur tabella, in qua descriptæ sint Missæ et Anniversaria, infra annum statutis diebus celebranda, ut omni exacta diligentia benefactorum intentioni satisfiat. Invigilet idem Sacrista, ut

mantilia, pro manibus Sacerdotum, qui celebraturi sunt, in promptu habeantur, eaque sint munda et nitida: omniaque alia providere studeat, quæ secundum Ecclesiæ ritum et consuetudinem providenda erunt. Ut vero magis accurate, tam Sacrista, quam ipsius adjutores munus suum adimpleant, optime factum erit, si unus, vel duo ex Canonicis eis præficiantur singulis annis, vel sæpius, uti plus expedire videbitur, mutandi, ut sic per vices majorem de rebus Ecclesiæ suæ notitiam assequantur.

CAPUT VII.

Dignior ex Presbyteris Episcopo, rem divinam facturo assistat. Sedeat prope Episcopum. Ejus munus, tam in Vesperis, quam in Missis, Episcopo celebrante.

1. Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in divinis, et assistunt, et serviunt, primus et dignior est Presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris, tam Canonicis, quam dignitatibus, qui in choro cum aliis sedere solent; nec refert, quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter; sed attenditur, ut sit dignior omnino ex omnibus, et in Sacerdotio constitutus, atque in Sacerdotalibus officiis expertus: ut digne et decenter officium suum exercere valeat, et opportune Episcopo, rem divinam agenti, ministrare possit. Igitur Episcopo, Officium in Vesperis facturo, ipse simul cum aliis Canonicis capiet paramenta, videlicet amictum super rocchetto, aut cotta, et super eo pluviale, tempori congruum, sine tamen formalio ad pectus; et cum Episcopus paratus erit sacris paramentis, ipse imponet ei anulum. Cum vero Episcopus primam Antiphonam erit intonaturus, ipse librum supra caput sustinere debet, quem ministri, alias de libro et candela servientes, adjuvabunt.

2. Intonata ergo prima Antiphona, eaque per chorum completa, inceptoque primo Psalmo, sedebit in aliquo sca-

bello, prope Episcopum, ante ipsius faciem a dexteris, vel a sinistris, prout loci situs patietur; regulariter tamen a dexteris, dummodo nec altari, neque Episcopo renes directe vertat, sed maneat semiconversus. Tertiam Antiphonam ipse Presbyter assistens, stans in eodem loco, ac præintönante sibi illam Subdiacono, vel alio ministro, intönabit voce intelligibili. Cum Episcopus erit intönaturus Hymnum, eodem modo librum sustinebit, prout de prima Antiphona dictum est: quo intönato, redibit ad locum suum, stans ibi usque ad finem Hymni. Idem faciet cum Episcopus intönabit Antiphonam ad *Magnificat*; qua intönata, et Episcopo sedente, capiet naviculam incensi de manu Acolythis, illamque cum cochleari prius deosculato, ac manu quoque illius osculata, porriget Episcopo, ut ex ea imponat incensum in thuribulum, more solito, dicens *Benedicite, Pater Reverendissime*. Quo facto, reddet naviculam Acolythis, et expectabit stans, vel sedens, quousque inchoetur *Magnificat*; quo Cantico incepto, præbit ante Episcopum, ad altare euntem, ubi, postquam ille osculatus fuerit altare, offeret ei thuribulum ab Acolythis acceptum, cujus catenularum summitatem ipse manu dextera tenens, eamque deosculans, ad sinistram Episcopi porriget; thuribulum vero, quod ipse manu sinistra sustinet, in dextera Episcopi collocat, quam deosculatur; ac finita thurificatione, stans in cornu Epistolæ, recipit thuribulum de manu Episcopi, osculando prius ejus manum dexteram, illudque Acolythis dat. Cum Episcopus redierit ad sedem suam, tunc ipse, stans ante infimum gradum solii Episcopalis, recipit thuribulum de manu Acolythis, et thurificat triplici ductu Episcopum stantem cum mitra; cui Episcopus benedicit, ac rursus, deposito thuribulo in manu Acolythis, ipse accedit ad sedem suæ assistentiæ, et ibi stans thurificatur a Subdiacono, vel, eo deficiente, ab Acolythis duplici ductu thuribuli. Cum Episcopus cantaturus est Orationem, accedit, et sustinet librum, ut alias; deinde revertitur ad locum suum.

3. Cum vero Missa sollemnis ab Episcopo erit celebranda,

ejus præcipua cura erit, totam Missam prævidisse, omnesque cæremonias et actus, quos Episcopus facturus est, observasse, ac signacula in libro Missali, in quo lecturus est Episcopus, locis congruis disposuisse, ut præsto illi esse possit, suggerendo illi submissa voce, vel modesto nutu indicando, si in aliquo forte, vel memoriæ lapsu, vel alia de causa deficeret, aut titubaret; præsertim apud altare, dum sacrosancta Mystera peragit. Igitur ipsa die, qua Missa celebranda erit, cotta, vel habitu suo canonicali indutus, postquam Episcopum ad Ecclesiam venientem comitatus fuerit, opportune aderit apud eum in secretario; et incepta hora Tertia, atque incipiente Episcopo legere Psalmos *Quam dilecta*, etc. cum aliis sequentibus, ipse ad ejus sinistram stans alternatim respondebit, duobus quoque Diaconis assistentibus pariter cum ipso respondentibus; et lavante Episcopo manus, porriget ei mantile ad tergendum. Circa finem Tertiæ induet se amictu super rocchetto, aut cotta, et super eo pluviali, et sic paratus sustinebit librum supra caput, cum Episcopus cantabit Orationem Tertiæ. Episcopo omnibus sacris paramentis induto, ac sedente, imponet annulum Pontificalem in digitum annularem dexteræ manus, illius annulo et manu prius deosculatis; mox naviculam incensi cum cochleari eidem ministret, ut imponat thus in thuribulum, antequam a secretario discedat. Cum autem Episcopus procedit versus altare, ipse ante illum incedit ad dexteram Diaconi, Evangelium cantaturi, et cum Episcopus ante infimum gradum altaris, facta cruci reverentia, incipit confessionem, ipse, ad ejus dexteram stans, respondebit simul cum Diacono stante a sinistris, et dum dicet in confessione *Tibi Pater*, et *Te Pater*, profunde versus Episcopum caput inclinabit.

4. Finita confessione, et osculato per Episcopum altari, dum Subdiaconus in cornu Evangelii porrigit librum Evangeliorum osculandum Episcopo, ipse adjuvat, manum ad librum apponendo, deinde retrahit se extra cornu Evangelii, dum Episcopus thurificat altare: et redeunte Episcopo ad

sedem suam, ipse eum præit, et apud eum stat. Cum Episcopus, lecto introitu Missæ, dicit *Kyrie eleison*, ipse simul cum eo, ac duobus Diaconis assistentibus idem dicit; sedente vero Episcopo, et ipse sedet super scabellum, a dexteris, vel a sinistris, prout supra de Vesperis dictum fuit. Si vero forte Episcopus celebrans non in sede propria, sed in faldistorio sederet, tunc ipse Presbyter assistens sedebit in aliquo scamno prope altare, versus cornu Epistolæ simul cum Diacono et Subdiacono, ad sinistram Episcopi; sustinebit deinde librum supra caput, cum ex eo Episcopus erit cantaturus *Gloria in excelsis*, et *Credo*, quæ cum eo, et duobus Diaconis assistentibus submissa voce proseguitur. Adjuvabit eodem modo, prout de prima lotionem dictum est, ad lotionem manuum, quoties opus erit in Missa, id est, post Offertorium, post Oblationem, et post Communionem. Si sermo habebitur per Episcopum, ipse sedebit a dexteris Episcopi cum Diacono a sinistris, remanente interim Subdiacono in suo scabello, si Episcopus erit in faldistorio ante altare. Si vero habebit sermonem in propria sede, sedebit in scabello suæ assistentiæ. Finito sermone, ac confessione per Diaconum decantata, ipse Indulgentias pronuntiabit in forma, prout suo loco dicendum erit. Si vero sermo habendus erit per ipsum Presbyterum assistentem, vel per aliquem Canonicum, qui eo casu servire debet Episcopo in officio Presbyteri assistentis cum pluviali, etiamsi non sit ex antiquioribus et dignioribus Canonicis; finito Evangelio, accedet ad osculum manus Episcopi, et profunde inclinatus ab eo petet benedictionem; et sic paratus ascendet ambonem, sive pulpitem, et sermonem habebit; ac finita confessione per Diaconum, ipse in eodem pulpito adhuc stans, publicabit Indulgentias in forma.

5. Lecto per Episcopum Offertorio, ac lotis manibus, ipse portabit librum cum pulvino ad altare, comitante Cæremoniaro, vel præmittet ministrum de eo servientem, ut ipse præsto sit ad lotionem manuum Episcopi. Cum Episco-

pus revertitur ad altare, ipse a sinistris, illum gradus altaris ascendentem adjuvat; et cum erit apud altare, accurate et opportune demonstrabit Episcopo omnia et singula, quæ ex libro erunt legenda, ea digito indicando. Dum autem Episcopus oblata et altare thurificabit, ipse, sumpto libro Missali cum pulvino, retrahit se extra cornu Evangelii, ne thurificationem impediatur; et finita thurificatione altaris, reponet librum cum pulvino super eo, ostendens ex illo, quæ successive erunt dicenda; ac dicet simul cum Episcopo *Sanctus*, etc. nec genuflectet, nisi cum elevatur Sacramentum, et cum Episcopus ipse genuflectit. Dicit *Agnus Dei*, etc. cum Episcopo celebrante, et Diacono; quo dicto, locum permutat cum Diacono: ipse enim accedit ad dextram, Diaconus vero ad sinistram latus Episcopi, cui relinquit curam libri. Ipse vero Presbyter assistens, dicta per celebrantem Oratione *Domine Jesu Christe, qui dixisti*, etc. genuflectit, et statim surgit osculando altare simul cum celebrante, qui sinistram genam suam cum sinistra ipsius Presbyteri assistentis approximans, dat ei pacem dicens *Pax tecum*, cui ipse respondet *Et cum spiritu tuo*. Et iterum, ante Sacramentum genuflectens, et statim surgens, recedit cum Cæremoniaro ad pacem dandam in choro, juxta ordinem in suo particulari capitulo descriptum.

6. Advertat autem, ne cuiquam Canonico, neque alteri, etiam Principi, quantumlibet magno, priusquam ei pacem det, ullam reverentiam faciat, sed solum post datam ei pacem, quæ reverentia solis Canonicis, Magistratui et Principibus convenit, quando assistens qui pacem defert, est Canonicus. Dum autem eundo et redeundo ad chorum transit ante Episcopum, vel altare, servabit debitas reverentias, vel genuflexiones, prout ei a Cæremoniaro monstrabitur, ac prout latius in capitulo de reverentiis exprimitur. Data pace, quibus per ipsum danda est, dat eam ultimo loco Cæremoniaro, qui eum duxit; et redit ad altare, ubi transfert librum a cornu Evangelii ad cornu Epistolæ, nisi jam translatus esset a Diacono; et adjuvat ad lotionem ma-

num Episcopi, ut alias; deinde redit ad librum, ostendens Episcopo cætera, quæ supersunt; et data benedictione, si Indulgentiæ non fuerint publicatæ, quod contingit, quando non fuit habitus sermo, eas tunc, petita prius licentiâ ab Episcopo, publicat in forma.

7. Episcopo vero non celebrante, sed Vesperis, aut Missæ solemnî per alterum cantatæ, præsentem, tunc Presbyter, Canonicus dignior post dignitates, assistat, prout et duo Canonici Diaconi, sed in habitu Canonicali sine paramenti, cujus officium tunc erit ministrare Episcopo naviculam incensi, quoties benedicendum et in thuribulo ponendum erit, et eundem Episcopum thurificandi post Evangelium et post oblata, et si est paratus cum mitra, etiam in initio Missæ; et post *Agnus Dei* accipere pacem, eamque deferre Episcopo, qui statim eam dat duobus Diaconis assistentibus: ipse vero reversus ad sedem suam in choro, illam dabit Subdiacono, qui eam cæteris det; nisi celebraret aliquis Prælatus, qui haberet proprium assistentem, quem tali casu convenit pacem accipere a Canonico Presbytero assistente, et distribuere cæteris; et habebit locum idem Presbyter assistens prope sedem Episcopi in scabello, ut alias, usque duminchoatur Præfatio, nisi dum fiunt circuli, ad quos ipse accedit cum aliis, et dum habetur sermo, quo tempore accedit cum aliis ad locum suum.

CAPUT VIII.

Duo Canonici in habitu Diaconi Episcopo celebranti assistunt. Eorum officium in Vesperis et Missa solemnî. Episcopo non celebranti assistunt in habitu Canonicali.

1. Episcopo, sive ipse Missam celebret, vel ad Vesperas Officium faciat, vel si illis tantummodo sit præsens, convenit duos assistere Canonicos, qui, si in Ecclesia sint distincti ordines, seu præbendæ Presbyterales et Diaconales,

erunt duo primi Canonici, ex ordine Diaconali. Quod si forte in aliqua Ecclesia, nec dignitates, neque ordines distincti essent, tunc erunt duo primi Canonici, vel dignitates immediate sedentes post primam dignitatem, vel primum Canonicum.

2. Hi autem, si Episcopus celebret, aut Officium faciat, induti esse debent habitu Diaconali, hoc est, dalmatica supra rocchetto, si ejus usum habeant; sin minus, super cottam et amictum; ac sedente Episcopo in sua cathedra episcopali, ipsi sedent hinc inde super scabellis nudis; ac procedente Episcopo a secretario ad altare, et ab altari ad sedem, et rursus a sede ad altare, ipsum medium facientes, ac fimbrias anteriores pluvialis hinc inde sublevantes, quando eo utitur, etiam apud altare, cum illud incensat; et si opus erit, ejus brachia sustentantes, deducunt; videlicet senior, sive dignior illorum a dexteris, alter a sinistris, capitibus detectis; et debent Episcopo solemniter celebranti assistere ultra alios duos, qui serviunt illi in officio Diaconi et Subdiaconi pro Evangelio et Epistola cantandis, de quorum officio et habitu paulo post dicetur in sequentibus capitibus. Quod intelligendum est, quando Episcopus celebrans sedet in sua sede et solio Episcopali; secus si sederet in faldistorio, quia tunc non requiritur alia assistentia, nisi Presbyteri assistentis, et prædictorum Diaconi et Subdiaconi, ad Evangelium et ad Epistolam in Missa servientium, qui eo casu supplent apud Episcopum loco illorum, imponendo et auferendo illi mitram et chirothecas, aliaque omnia faciendo, quæ ipsi duo Diaconi assistentes, cum Episcopus residet in sede sua pontificali, facere solent, prout statim inferius dicetur.

3. Officium ergo prædictorum Diaconorum assistentium est, ut, cum Episcopus in Vesperis genuflectit ante altare super faldistorio, ipsi aptent hinc inde decenter latera pluvialis super eo; et junior ex eis, qui assistit ei a sinistris, aufert illi mitram, quam dat ad manus ministri, de ea servientis; alter vero a dexteris aufert ei biretum, complanando leniter

capillos. Cum vero Episcopo mitra imponitur, Diaconus assistens a dexteris, imposito bireto, illam imponet, altero a sinistris adjuvante, et vittas a tergo Episcopi aptante; et semper, quoties Episcopus apud sedem suam elevat manum dexteram signando se, aut alios signo crucis, velut cum benedicit thus, cum benedicit Presbyterum assistentem, qui eum thurificavit, vel alias quoties personas, aut res aliquas benedicit, sive pectus percutiendo, aut alia de causa, toties Diaconus a dextris parum elevat pluviale a latere suo, ac etiam cum thurificat altare. Cum autem elevat ambas manus, et quando est lecturus aliquid ex libro, seu daturus benedictionem solemnem, Diaconi assistentes hinc inde elevat fimbrias pluvialis, et cum Episcopus cantat, vel legit aliquid ex libro, ipsi Diaconi assistentes hinc inde apponunt manus super librum, et primus volvit folium, alter digito indicat textum, qui legi debet; sed celebranti Missam, quia non habet pluviale, sed planetam, non est necessarium fimbrias elevare, sed ei servient in cæteris rebus necessariis, et specialiter in ponendo et auferendo mitram, quod sæpius accidit: videlicet primo, cum pervenerit ante altare genuflexus; secundo, post thurificationem altaris in principio Missæ, cum ipse thurificatur; tertio, cum dicit Introitum, et *Kyrie eleison*, cum dicit *Gloria in excelsis Deo*, cum dicit Orationes; quarto, ad Evangelium, id est, statim data benedictione Diacono; quinto, statim finita confessione per Diaconum post sermonem, ubi sermo habetur, pro absolutione danda; sexto, ad Offertorium; septimo, cum post Offertorium ad altaris gradus pervenerit; sed hoc casu Diaconus, Evangelium cantans, aufert ei mitram: et regulariter cum Episcopus est apud altare, serviet ei Diaconus Evangelii, cum vero est apud sedem, serviunt ipsi assistentes, nisi ubi necessitas aliud suadeat, ut post thurificationes altaris; quia tunc primus Diaconus assistens imponit ei biretum et mitram, cum Diaconus Evangelii tunc sit impeditus cum thuribulo, quod de manibus Episcopi accepit, ut eum thurificet. Regulare enim est, tam in Missis, quam in

Vesperis quod, existente Episcopo apud sedem suam, sedenti semper aufertur et imponitur mitra: secus quando genuflectit pro oratione facienda; quia tunc stanti imponitur, genuflexo aufertur (excepto casu primi accessus ad Ecclesiam, ut supra, Cap. II. § v.) et quando est apud altare, in Missa stanti imponitur et aufertur. Hoc etiam observent ipsi assistentes, ut cum unus ex eis surgit, facturus aliquod ministerium, ad rem divinam spectans, pariter et alii coassistentes surgunt; cum autem sessuri sunt, nutu capitis se invicem ad sedendum invitant. Hæc, quæ diximus, observanda sunt, celebrante Episcopo solemniter.

4. Si vero non celebret, sed Officio divino intersit, præfati assistentes Diaconi erunt apud Episcopum in habitu Canonicali, et omnia facient et observabunt, secundum regulas supradictas. Sciendum autem est, quod hujusmodi assistentia facienda est tantummodo Episcopo loci Ordinario; et nulli alteri, etiamsi sit Legatus, qui in sede Episcopi sederet.

CAPUT IX.

Officium Diaconi in Missa solemnī, quæ ab Episcopo celebratur. Induit Episcopum sacris paramentis. Evangelium cantat. Quando recitare debeat Confessionem. Episcopum sacris paramentis exuit.

1. Diaconus, qui Evangelium cantaturus est, Episcopo solemniter Missam celebrante, debet simul cum aliis Canonicis Episcopum ad Ecclesiam comitari; nam et ipse ex Canonicis Diaconis esse debet, nec refert an sit de antiquioribus, necne, cum tale onus inter ipsos per vices, vel alias arbitrio Episcopi, vel juxta consuetudinem Ecclesiæ distribuendum sit: et dum alii Canonici accipiunt paramenta, ipse quoque eodem loco accipiet sua, aliquo ex Clericis Ecclesiæ adjuvante; et primo accipiet amictum, quem in medio osculabitur, qui crucis figura carere non debet; eumque